Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2929
Quelle:
Copyright:

Vespertinae uel Nocturnae, quarum priores habentur *Murat. col.* 246. posteriores *col.* 258. Atque nunc tandem succedunt Missae *Dominicales post Pentecosten*, ut sunt apud *Murat. col.* 164. et *Dominicales per Adventum* cum *quatuor temporibus*, ut *Murat. col.* 133. Finem faciunt Missae: *Pro Pace. Pro Caritate. In Tempore Belli. Pro Rege. Pro Episcopis uel Abbatibus. Pro cuncta Congregatione. Pro Fidelibus. Communis. Pro Familiaribus. Uiuorum ac Mortuorum* triplex. *Pro Elemosina. Pro Petitione Lacrimarum. Pro Temptationibus. Pro Iter Agentibus. Pro Amico Uiuo* triplex. *Pro Infirmis. Missa Fidelium* abrupta. Hae paene omnes sed alio ordine, et saepe aliter inscriptae reperiuntur apud *Murat.* saepe *cit. col.* 187 — 224.

E *Gallia* aut *Belgio* olim allatum *Codicem* vero simile facit *Missa in Natali S. Leudegarii* supra adducta.

DCCCIX.

154 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. et XV. Folior. 316. f. quorum tamen multa vacua sunt, est *Liber Collectaneorum variorum theologici argumenti*, quae more nostro indicabimus. I. *Incipit ordo ecclesiasticus Romanę ecclesię: vel qualiter missa celebratur.* Initium: *Primum omnium obseruandum est: septem esse regiones* &c. Finis: *et intrat in secretarium.* Habetur in *Melch. Hittorpii L. de div. Cath. Eccl. Off. Colon.* 1568. p. 9. f.

II. *fol.* 19. *Sequentiae* et *Hymni ecclesiastici* complures, praetextis saepe *modulis musicis*, maximam partem *Natalem Domini* celebrantes, hinc inde etiam refecti, sed antiquioribus collati garruli et elumbes. Videntur cujusdam Ludi Magistri in *Bohemia* vel *Moravia* Opus; nam *fol.* 71. p. 2. Strophа etiam bohemica legitur.

III. *fol.* 191. incipiunt *PP. et Scriptorum ecclesiasticorum Loca collecta* de Communione sub utraque specie, clara recitatione verborum Institutionis sacrae Coenae, lingua populari in Sacris, Iustificatione, Ritibus, Caelibatu, Purgatorio, Poenitentia et Confessione, Constitutionibus Ecclesiae et autoritate Conciliorum, extrema Unctione, Matrimonio, Monachatu, Votis, Jejunio et delectu Ciborum, et de Haereticis. Collectio haec ab homine dissentiente ab Ecclesia Rom. facta videtur. Inter alia p. 214. locus prolixus de cultu SS. adfertur ex *Libello, cui Titulus Speculum Antichristi*, quem *Joh. Wiclefi* arbitror.

IV. *fol.* 239. *Incipiunt Orationes de Septem poenitentialibus psalmis.* Margini adscriptum: *Alcuini esse creditur.* Habentur in Collectione *Precum Ecclesiasticarum, Opp. Georgii Cassandri* p. 315. *Paris.* 1616. f.

V. *fol.* 241. Sequuntur *Hymni*, qui nunc quoque in *Horis*